

Regula detri scrupula prima, quot dant 20. scrupula prima, hic quaeritur, qui numerus
barbare vocatur. congruit ad 20. scrupula ea ratione, qua ad vnum gradum congruunt 24
scrupula prima, Vel quaeritur quartus numerus in proportione cum 3.
priors dati fuerint, Quare quod logistae vulgo docent ignotum nume-
ram venari ex tribus, id prorsus in Astronomico calculo est quaerere
partem proportionalem seu congruentem.

Prodest autem dissimilitudinem praceptorum in verbis aut genere
sermonis potius quam in rebus sitam considerare Nam quod logistae
praecipiant, tribus numeris, qui dati sunt, rite collocatis multiplicare
tertium in secundum, & natum ex ea multiplicatione partiri in primum
vt existat quartus numerus, idem plane praecipit Astronomicus calculus
sed paululum mutatis verbis. Iubet enim posterioris rationis. antece-
dentem terminum, qui solus datur, multiplicare in terminum conse-
quentem prioris rationis, numerumq; inde ortum partiri in terminum
antecedentem eiusdem prioris rationis Quotus enim numerus huius
diuisionis est consequens terminus posterioris rationis. qui ignorabatur,
pars scilicet proportionalis, vel ἡ ἐπιβάλλουσα, vt subinde nominat
Ptolomæus. Vt si repetatur propositum exemplum. 1. gradus dat 24.
scrupula prima, quot dant 20. scrupula prima: multiplicata 20. in 24.
exhibent ex canone sexagenario 8 0 id est, 8 scrupula prima, 0. sec.
quia iuxta superiores regulas scrupula prima in prima gignunt secunda
scrupula cum primis. Iam si 8 1^a, 0 2^a, diuidas per 1. gradum, erunt si-
militer 8 1^a, 0 2^a, eo quod gradus velut integrum per se non mutat vl-
lam speciem, vnitas autem non diuidit, id est, non mutat magnitudi-
nem diuidendi numeri.

Ex hoc igitur vnico exemplo satis apparet, quomodo in Astrono-
mico calculo pars proportionalis inuestigetur. Ac vt breuiter, & semel
dicam, quod res est, totum hoc negotium planissimum est, tractatioq;
facilima, si obserues regulas de speciebus nascentibus traditas supra in
multiplicatione & diuisione

Etsi autem haec, quae diximus, summam continent negocij, tamen
duas insignes species, quae in hoc Astronomico calculo occurrunt, bre-
uiter libet prius commemorare quam ad sequentia accedamus. Alias
enim gradus seu integrum tenet locum diuisoris alias vero gradus tenet
alium locum quam primum, prior casus occurrit, quoties canonem
aliquem Prosthaphæreseon, aut similem, qui ad singulos gradus pro-
pagatus est, ingredimur lateraliter, hoc est, cum vterque numerus fo-
ris sumitur. In omnibus autem huiusmodi exemplis sola multipli-
catio expedit quaestionem, nec locus est diuisioni, vt in praecedenti ex-
emplo, 1. gra. dat 24 1^a, quot dant 20 1^a, per solam multiplicationem
inueniuntur

*Duae species
in Astronomi-
co calculo.
PRIOR.*